



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S. Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

**Bacon, Francis**

**Francofvrti ad Moenvm, 1665**

XXVII. Icarus Volans, item Scylla & Charybdis, sive via media.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5**



missa videntur, cum Scientiæ in primis quibusque authoribus, *Aristotele*, *Galeno*, *Euclide*, *Prothomæo*, maxime florere cernantur; atque successio nil magni effecerit, aut ferre tentaverit. Atque optandum esset, ut isti Ludi in honorem *Promethei*, sive humanæ Naturæ instaurarentur, atque Res certamen & æmulationem & bonam fortunam reciperet, neque ex unius cuiuspiam face tremulâ atque agitâ penderet. Itaque homines monendi sunt, ut se ipsi suscitent, & vires atque etiam vices suas experiantur, neque in paucorum hominum animalis & cerebellis omnia ponant. Hæc sunt illa, quæ in Fabulâ ista vulgari, & decantata nobis adumbrari videntur; neque tamen inficiamur, illi subesse haud pauca, quæ ad Christianæ fidei mysteria miro consensu innuant; ante omnia Navigatio illa *Herculis* in *Urceo* ad liberandum *Prometheum*, Imaginem Dei Verbi in carne tanquam fragile vasculo ad redemptionem humani properantis præ se ferre videtur. Verum non omnem in hoc genere licentiam nobis ipsi interdiciamus, ne forte Igne Extraneo ad Altare Domini utamur.

## XXVII.

## ICARUS VOLANS: ITEM SCYLLA, ET CHARYBDIS, SIVE, VIA MEDIÂ.

**M**ediocritas, sive Via Media, in Moraliibus laudatissima est; in Intellectualibus minus celebrata, sed non minus utilis, & bona: In Politicis tantam suspecta, & cum iudicio adhibenda. Morum autem *Mediocritates*, per viam *Icaro* præscriptam; Intellectualium autem, per Viam inter *Scyllam* & *Charybdem* difficultatem & periculum decantatam, ab Antiquis notantur. *Icaro* præcepit Pater, cum Mare esset prætervolandum, ut viam aut nimis sublimem, aut nimis humilem caveret. Cum enim Alæ cerâ essent conglutinatæ, periculum erat si altius efferretur, neocera ex Solis ardore liquefieret; Sin ad vaporem Maris propius se submitteret, ne ab humore cera minus tenax efficeretur. Ille vero ausu Juvenili in celsiora contendit, atque in præceps lapsus est. Parabola facilis & vulgata est: Virtutis enim via inter Excessum, & Defectum recto tramite aperitur. Neque mirum erat, si *Icarum*, Juvenili Alacritate gestientem, Excessum perdidit. Excessus enim ferè Juvenum: Defectus Senum vitia esse solent. Ex Semitis tamen malis: & nocivis, elegit *Icarus*, (si planè pereundum erat) meliorem. Defectus enim rectè estimantur Excessibus praviore. Quandoquidem Excessui, non nihil Magnanimitatis subit, & cognitionis cum Cælo, ad instar volucris: Defectus verò humi serpat, instar Reptilis. Præclare *Heraclitus*; *Lumen Siacum*, *Optima Anima*. Nam si ex humo humorem contrahat anima: profus deprimitur & degenerat: Interim tamen Modus adhibendus est; ut ab illa Siccitate laudatâ, Lumen reddatur subtilius, non corripitur incendium. Atque hæc cuius ferè nota sunt. At via illa in Intellectualibus inter *Scyllam* & *Charybdem*, certè & peritiam navigandi, & fœlicitatem desiderat. Si enim in *Scyllam* incidant Naves, illiduntur cautibus: Sin in *Charybdem*, absorbentur. Cujus Parabolæ ea videtur esse

vis (quam nos breviter perstringemus, tametsi infinitam trahat contemplationem) ut in omni Doctrina & Scientiâ, earumque Regulis & Axiomatibus, Modus teneatur inter Distinctionum Scopulos, & universalium Voragine. Hæc enim duo naufragiis ingeniorum, & Artium famosa sunt.

## XXVIII.

## SPHINX, SIVE SCIENTIA.

**T**raditur *Sphinx* fuisse Monstrum specie multiforme; facie, & voce virginis; penis volucris; unguibus *Gryphi*: Jugum autem Montis in agro *Thebanotenebat*, & vias obsidebat: Mos autem ei erat, viatores, ex insidiis invadere, ac comprehendere: quibus in potestatem redactis, *Ænigmata* quædam obicere & perplexa proponebat, quæ a Musis præbita, & accepta putabantur. Ea si solvere, & interpretari, miseri captivi non possent; hæsitantes & confusos in illis, magna sævitia dilaniabat. Hæc calamitas cum diu grassaretur; præmium propositum est à *Thebanis*, (ipsum *Thebarum* Imperium) viro qui *Sphingis* *Ænigmata* explicare possit, (neque enim alia superandæ illius ratio erat) Tanto pretio excitatus *Oedipus* vir acer, & prudens, sed pedibus læsis, & perforatis conditionem accepit, & experiri statuit. Postquam autem fidens animi & alacer se coram *Sphinge* stitisset: Illa ab eo quæsit, quale tandem illud Animal esset, quod primò quadrupes natum, postea bipes factum esset, deinde tripes, ad extremum rursus quadrupes. Ille præterenti animo respondit, Illud in Hominem competere, qui sub ipsum partum & infantiam quadrupes provolvitur, & vix repere tentat; nec ita multo post erectus & bipes incedit; in Senectute autem baculo innititur, & se sustentat, ut tanquam tripes videatur! extrema autem ætate decrepitis Senex labantibus nervis, quadrupes decumbit, & lecto affigitur. Itaque vero responso victoriam adeptus *Sphingem* interemit! Cujus corpus Asello impositum, veluti in Triumpho ducebatur; ipse autem ex pactis Rex *Thebanorum* creatus est. Fabula elegans, nec minus prudens est: atque videtur conficta, de scientiâ, præteritum conjuncta practica. Siquidem Scientia non absurdè Monstrum dici possit, cum ignorantibus & imperitis profus admirationi sit. Figura autem & specie multiformis est, ob immensam varietatem subiecti, in qua Scientia versatur: vultus & vox affingitur Muliebris ob gratiam & loquacitatem: Adduntur Alæ, quia Scientiæ & earum Inventa momento discurrunt, & volant, cum Communicatio Scientiæ sit instar Lumine de Lumine, quod affatim incenditur. Elegantissimè autem attribuuntur unguis acuti, & adunci; quæ Scientiæ Axiomata, & Argumenta penetrant mentem, eamque præhendunt & tenent, ut movere & elabi non possit: quod & Sanctus Philosophus notavit; *Verba Sapientum* (inquit) sunt tanquam *Aculei*, & veluti *Clavi* in *Altum* defixi. Omnis autem Scientia collata videtur in arduis & editis Montium. Nam res sublimis merito putatur, & excelsa, & ignorantiam tanquam ex superiore loco despicens,